



**R. P. Christophori Gillii, Ex Brigantio Lvsitaniæ, Societatis
Iesv, Et in Conimbricensi Academia S. Theologiae
Professoris; Commentationvm Theologicarvm De Sacra
Doctrina, Et Essentia atque vnitate ...**

Gil, Christovão

Coloniae Agrippinae, 1610

Theologia est sapientia. cap. 9.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82291](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82291)

sed causæ: & ex hac parte posse de illis interdum fieri discursus, habentes aliquam rationem materialis demonstrationis, sed de his factis.

Theologia est sapientia.

CAPVT IX.

I.
Durand.

DVrand. q. 1. prologi, n. 54. & 55. sicut negat Theologiam esse scientiam, ita quoque inficiatur esse sapientiam: fundamentum est, quoniam Theologia caret euidencia, quæ est potissima ratio scientiæ, sapientiæ, & cæterarum virtutum intellectualium, quas recenset Aristot. lib. 6. Ethic. c. 3. & quidem si sapientiam accipiamus, ut accipit Aristot. rectè philosophatur Durand. Philosophus enim non agnoscit sapientiam, vel scientiam, aut vili virtutem intellectualem ineuidetem. Verum quemadmodum ineuidencia non extrahit fidem à numero virtutum intellectualium, ita neque debet extrahere Theologiam; & quemadmodum superius concessi in illa non nullam rationem scientiæ ob firmitudinem assensus, ita si cætera adsint, censoo admittendam rationem sapientiæ, atq; ita omnia ineuidetia de cæteris sapientiæ proprietatibus agendum est. Porro ut docet Aristot. lib. 1. Met. cap. 2. Sapientiæ proprium est considerare supremas causas, & secundum illas de rebus alijs ac scientijs iudicare: ita ut ipsa sit suprema regula omnium, nulli alteri scientiæ creatæ, tãquam regula subiecta, illud quoq; proprium eius est, ut includat intellectum ac scientiam, hoc est habitum principiorum, ut docet Philosophus lib. 6. Ethicor. c. 7.

Aristoteles.

II.

Ex his deducitur pars negatiua primò: sub vno lumine est vnus tantum habitus supremus, qui sit regula cæterorũ, & sapientiæ nomine censeatur, quemadmodum sub lumine naturali sola Metaphysica est sapientia, sed sub lumine diuino sunt alij duo habitus, qui sapientiæ nomine intelliguntur, nimirum fides ipsa, & donum Spiritus sancti, quod peculiari nomine sapientia dicitur: ergo Theologia nõ est sapientia. Secundo, sapientia est habitus excellentior, quàm scientia & intellectus, ut deducitur ex philosopho lib. 11. Met. cap. 1. Theologia verò non est præstantior fide, quæ est habitus primorũ principiorũ ipsius Theologiæ: ergo nõ est sapientia. Tertio, Theologia nõ ita regulatur fide, & ipsa non regulat scientias naturales, ergo nõ est sapientia. Consequetia est manifesta ex supposita proprietate sapientiæ: antecedens quoque priorem partem certissimum est, quoniam

Aristoteles.

omnis scientia regulatur per sua principia, fides autem est habitus principiorũ Theologiæ. Quoad posteriorem facile ostenditur, quoniam Theologia eatenus potest regulare veritates complexas, quatenus diuina reuelatio se extendit: at in sacris literis nequaquam sunt reuelata principia scientiarum naturalium: ergo Theologia, si se contineat intra limites proprii obiecti formalis, nequit dirigere scientias naturales. Quarto, scientia, ut superius ex Aristot. suppositum, est simul scientia & intellectus, hoc est habitus conclusionũ & principiorũ. Theologia verò non est habitus principiorum, quoniam illorum habitus est fides, quæ est virtus infusa, & cõsequenter Theologia solum est habitus conclusionum, & proinde non est sapientia. Deniq; sapientia auctore Philosopho, lib. 1. Met. cap. 2. est maximè libera, sui ipsius gratia acquiritur, & in pura veritatis contemplatione versatur: at Theologia non est scientia purè speculatiua, sed etiã practica: ergo nõ est sapientia.

Communis sententia est Theologiam esse sapientiã. Ita docet Alenf. 1. parte. q. 1. memb. 1. Albertus in prologo summæ, & traët. 1. q. 1. & in 1. d. 1. art. 4. ad primum. S. Thom. 1. parte. q. 1. ar. 6. q. vn. prologi, ar. 3. quæst. 3. & in secundo scripto, q. 2. ar. 1. Bonauent. q. 3. prologi. Ægid. 2. parte prologi, q. 1. Henric. ar. 6. sum. q. 2. Richard. q. 5. prologi ad 3. Hericus quodlib. 9. q. 5. ar. 3. Scotus q. 3. prologi. §. Ex dictis patet. Mayron. in 3. d. 33. q. 1. ar. 10. Argent. q. 2. prologi, ar. 4. Carthusian. q. 1. ad 1. & lib. 1. fidei orthodoxæ, ar. 2. n. 1. Syluest. 1. parte conflat. q. 1. ar. 15. Caiet. 1. parte. q. 1. ar. 6. Ferrariens. lib. 2. contra gentes, cap. 4. Canus lib. 12. de locis, cap. 2. & Medina secunda secundæ q. 57. ar. 2. fundamentum est, quod utitur D. Thom. sapientis est dirigere, ac iudicare, ut habetur 1. Mer. c. 2. iudicium verò de rebus & causis inferioribus habetur per causas superiores: atq; aded is, qui considerat altissimã causam totius vniuersi, maximè, ac simpliciter sapiens dicitur. Theologus autem contemplatur Deũ, qui est suprema rerum omnium causa: ergo est maximè sapiens, & theologia sapientia. Aliud fundamentum indicat D. Thom. eodem loco, & lib. 2. contra gentes, c. 4. nempe quia Theologia cõsiderat Deum supremam causam lumine quodam superiori diuinæ reuelationis, quod est regula & mensura luminis creati, quo nititur contemplatio sapientiæ naturalis, scilicet Metaphysica: & ita Theologus non solum speculatur primam causam, quoad ea, quæ de illa Philosophi per creaturas cognou-

runt,

runt, sed etiam quoad alia plura soli Deo naturaliter nota, communicata tamen creaturæ rationali per lumen diuinæ reuelationis, ex quo emergit discrimen, quod inter Theologiam & sapientiam naturalem statuit D. Thom. loco cit. contragentes, & fusius Ægyd. in 3. d. 1. parte 1. q. 1. art. 2. & Henric. in sum. art. 19. q. 1. ad 3. & q. 2. ad secundum: nempe quia naturalis, utpote quæ sensuum ministerio, & opere intellectus agentis vitur ad indagandam veritatem, prius considerat creaturas, ex quarum notitia deuenit in cognitionem Dei, qui est prima causa, secundum quam postea iudicat de rebus creatis: at verò Theologia, quæ nititur lumine diuino, primò, ac per se versatur circa cognitionem ipsius primæ causæ hanc illam ex reuelatione: deinde verò ex illius cognitione digreditur ad creaturas habentes attributionem ad ipsam sub eodē lumine, & mensurat veritatem reliquarum scientiarum. Hic verò obseruandum est, aliter Theologiam regulare ceteras scientias, aliter metaphysicam: nam hæc est propria, & conaturalis mensura sub lumine naturali probans, ac declarans, quando opus est, principia aliarum: & quoniam immediata singularum scientiarum mensura sunt propria principia metaphysica, quæ principia mensurat, dicitur quoque dirigere, ac mensurare scientias ipsas. Theologia verò est mensura superexcedens, & ex proprio instituto solum mensurans: quando deficit lumen naturale, & lux primæ sapientiæ naturalis, vel saltem non percipit distinctè rationem, & causam veritatis; exempli causa, lumen naturale, nō euidenter agnoscit, vtrum accidens possit esse extra subiectum: & si Philosophus id negaret fieri posse, non haberet Metaphysica sufficientia principia, vnde eiusmodi errorem corrigeret; item si quis negaret naturam posse existere absque propria personalitate, non posset à Metaphysico ad veritatem traduci: & tamen Theologus si nō à priore ostendendo rationes, & causas, saltem ex testimonio primæ veritatis illa fieri posse demonstrat, & circa hæc, & alia corrigit errores quàm plurimos pertinentes ad Philosophiam tam moralem, quam naturalem, vt rectè notat Richard. q. cit. ad secundum.

IV.

Pro solutione argumentorum explicandum prius, quænam sit ratio sapientiæ, & quodnam discrimen eius à scientia & intellectu; quæ de re variè opinantur Doctores: quidam censent habitum scientiæ esse verum simpliciter. Verum in huius

declaratione plurimum dissentiunt Ockhamus, quæst. 8. prologi lit. I. & K. & Gabriel art. 3. dubio 4. existimant vnico actu posse intellectum ferri supra totū discursum demonstratiuum, & tunc habitum genitum ex huiusmodi actu esse sapientiam: qui æquiualeuter est intellectus, ac scientia. Itaque de sententia ipsorum sapientia est habitus totius demonstrationis; eam vero probant auctoritate Aristotelis lib. 6. Ethicorum cap. 7. cit. & ratione, quoniam aliter sapientia non distingueretur à scientia, & intellectu: nam omnis propositio necessaria, terminans assensum euidentem, aut est conclusio, aut principium; si principium eius est intellectus; si conclusio eius est scientia: ergo nullus actus cadens supra vnica tantum propositionem est sapientia: ergo erit is qui cadit supra totam demonstrationem amplectentem principia, & conclusionis: si vero obijcias hac ratione, in omni scientia reperiri posse sapientiam, quod tamen est contra Philosophum, qui solam Metaphysicam scientiam appellat. Respondent sapientiam sumi latè, ac presè solum respectu nobilissimorum, propter quod ait Philosophus lib. 6. Ethic. cap. 8. *ex dictis utiq; manifestum, quoniam est sapientia & scientia, & intellectus nobilissimorum natura*: & hoc modo loquitur Aristotelis de sapientia lib. 1. Metaph. cum eam sapientiam vocat, sumitur autem latè pro habitu inclinante ad assensum totius demonstrationis cuiuscunque facultatis, ac scientiæ, qua ratione, inquit, dicimus sapientem latum, ac sapientem statuarium, vt habetur 6. Ethicorum, cap. 7. verum non satisfaciunt rationi: tum quia Aristot. nō dixit simpliciter artifices esse sapientes: sed reddit rationem, cur homines vulgò aliquos ex ijs sapientes appellare soleant: ea verò non est, quam Nominales fingunt, quod vnico actu principia, & conclusiones intelligant: quis enim hoc in alio discernere poterit? aut quis in statuario discursum, aut assensus mentales cōsiderat? causa verò est quam Philosophus initio capituli tradidit, *sapientiam autem, inquit, in artibus attribueri illis solemus, qui absolutissimi in ipsis sunt, & infra, nihil aliud hic sapientia nomine, quam artis ipsius virtutem significantes*. Itaque ad perfectionē artis, nō ad modum sciendi attendunt homines, cum artifices aliquos sapientum nomine dignantur. Denique fieri potest, vt aliquis sit Doctissimus Metaphysicus, qui tamen nunquam vnico actu totam aliquam demonstrationem iudicabit, qui de sententia Aristotelis erit sapiens,

Ockham.
Gabriel.

Aristot.

Gillij commentheol.

Q

quoniam

quoniam Metaphysica sapientia est: quare ratio sapientiae non consistit in unica ratione actus iudicatiui de tota demonstratione: sed in eo quod sit exactissima scientia, ut ait Aristoteles eodem capite. Solutio argumenti ab eisdem propositi pendet ex resolutione difficultatis; & ideo differenda.

V.

Burid.

Aliter hanc sententiam ut probabilem tuetur Burid. lib. 6. Ethic. q. 12. in scientia, inquit, est assensus principiorum, qui pertinet ad intellectum; & conclusionis, qui pertinet ad scientiam. Sed hæ notitiæ non sufficiunt ad rationem sapientiae; oportet enim, ut intersit connexio inter principia, & conclusionem; & ut non solum hæc, & illa vera esse cognoscantur, sed etiā ut sciatur conclusio esse veram propter veritatem principiorum: quæ omnes tres notitiæ distinguuntur: prima est intellectus, secunda scientia, tertia, quæ utramque virtute includit, est sapientia. Sed enim hæc etiam expositio aliena est à mente Philosophi: nam scientia non est absolutus assensus conclusionis, sed assensus ex principiis, & propter principia, & ideo Aristoteles definiens scire, dixit *esse cognoscere causam, ob quam res est illius causam esse*: neque in scientia intercedit absolutus ille assensus conclusionis: omnis autem assensus est propter aliquod motiuum, assensus autem scientificus non habet aliud, quā veritatem principiorum: & ita iuxta hanc interpretationem omnis scientia esset sapientia contra Philosophum.

VI.

Alij sapientiam ita credunt esse unum habitum, qui simul sit scientia, & intellectus, ut ad id non requirant unicum assensum totius demonstrationis, sed quemadmodum scientia, quamvis sit unus habitus, inclinatur ad assensum plurium conclusionum subordinatarum, ita ut principiis secundæ, ac tertiæ conclusionis præstetur assensus ex habitu scientiæ, quandoquidem illæ sumuntur ut demonstratæ per priores demonstrationes, sic etiam sapientia, unus habitus cum sit, inclinatur ad assensum primorum principiorum, & conclusionum, quæ ex ipsis deducuntur, non coniunctim, & unico simul actu, ut volunt Nominales, sed singulis seorsim sumptis: atque adeo ipsum per se assensum primorum principiorum immediatè procedere ab eodem habitu, à quo elicitur assensus conclusionum deductarum, & ita sapientia est simul intellectus, & scientia, non formaliter sed eminenter. Ita docent Aegy. in proœmio super lib. de causis, Ioannes Bachonus, q. 4. prologi, art. 5. initio. Conradus prima secundæ, q. 57. art. 2. §. *Not a præterea*, & reprobabilem sequitur Buridanus ubi supra,

Aegy.

Bachon.

Conrad.

Buridan.

quæ opinio habet fundamentum in doctrina Aristotelis. Nam cit. lib. 6. Ethic. cap. 1. sic habet: *Constat igitur ex his, quæ dicta sunt, sapientiam esse verum præstantissimarum naturarum scientiam, & intellectum*: & paulò ante dixerat eodem capite. *Sapientem igitur non solum ea, quæ ex principiis sunt, cognoscere, sed etiam circa principia ipsa verum dicere oportet: quare sapientia erit intellectus & scientia*. Itaque non minus ad sapientiam pertinet veritatem principiorum, quam conclusionum speculari: atque adeo per se inclinatur ad utrumque assensum, id vero fieri nequit, nisi simul sit scientia, & intellectus, non formaliter, quoniam duo habitus specie distincti concurrere nequeunt in habitum specie unum, & ab his distinctum: sicut Aristoteles distincti eodem lib. 6. Ethic. ergo virtute, atque eminenter: ita ut unus habitus sapientiæ, specie distinctus à communi ratione habituum scientiæ, atque intellectus, eos eminenter contineat.

Verum hæ opinio etsi ex doctrina Aristotelis non nihil probabilitatis habere videatur, re tamen ipsa, & ratione non habet fundamentum. Ut enim rectè notat Mayron. q. cit. art. 7. non est vlla ratio cur ad cæteras scientias requirantur duo genera habituum, alterum circa principia, alterum circa conclusiones, in Metaphysica autem sufficit vnus tantum habitus: nam quæ in alijs est ratio discriminis specifici, nempe diuersa ratio motiui ex terminis, ac per discursum, eadè est in Metaphysica, in qua etiam primis principiis præstatur assensus ex sola terminorum penetratione, conclusionibus per discursum. Et quod ad modum non est vlla differentia, sed tantum quoad materiam: quia Metaphysica disputat de rebus præstantissimis, & altissimis, cæteræ vero scientiæ de rebus inferioribus ordinis: at sola dignitas obiecti non constituit distinctionem specificam penes communem modum assentiendi ex terminis, sed ex discursu: quapropter si reliquæ scientiæ supponunt habitum principiorum à se ipsis diuersum, etiā Metaphysica supponere debet: atque adeo non continet formaliter, aut eminenter, sed solum supponit intellectum, qui est habitus principiorum ipsius Metaphysicæ.

Alia interpretatio est Eustratii ad lib. 6. Ethic. c. 7. Burlæi ibidem, & Chrysostomi Iauelli lib. 6. Ethic. tract. 2. c. 6. & 7. assentientium sapientiam non esse unicum habitum, sed constare ex duobus, nempe ex scientia, & intellectu, & hæc voluisse Aristotelem, cum 6. Ethic. c. 7. dixit sapientem non solum cognoscere ea, quæ sunt ex principiis, verum etiam circa eadem veritatè di-

cere.

Aristot.

VII.

Mayronius.

VIII.

Eustrat.

Burlæus.

Iauellus.

Aristot.

cere. Verum cōtra hanc interpretationem obijci potest; quoniam iuxta eam non solum Metaphysica, sed quævis alia scientia prout amplectitur habitus principiorū, & conclusionum, erit sapientia, & tamē Aristoteles solum Metaphysicam sapientiam appellauit. Deinde 6. lib. Ethic. sapientiam, intellectum, ac scientiam recenset, tanquā virtutes intellectuales distinctas, ineptum verō esset sapientiam, quæ non esset aliud, quā coniunctum quoddā ex scientia, & intellectu tanquā virtutem ab illis distinctā numerare. Huic argumētationi respondet Eustratius ideō cōnumerasse, quoniam sapientia est quoddā totū constans partibus, quæ seorsim esse possunt, quia, inquit, potest esse aliquis sciens sine intellectu, hoc est sine assensu primorū principiorū, quādiu veritatē circa illa assecutus non est, quæ solutio manifestē pugnat cum doctrina Aristot. lib. 1. poster. c. 2. demonstratiōnem, qua scitur, describentis Syllogismum constantem primis, & immediatis, atque adeo fieri nequit, ut sciens ignoret veritatē primorū principiorum. Omīssa tamen hac solutione aliter responderi potest, ideō Aristotelem solam Metaphysicam sapientiam nominasse, quoniam in reliquis scientijs sunt pauca principia, & hæc ipsa nō alijs, sed à Metaphysica, si opus est, probatur, ac defenduntur; imō pleraque ipsorū possunt esse cōclusiones Metaphysicæ, at Metaphysica cōtinet prima omnino principia in nulla alia resolutibilia, & ita quatenus ipsa, & supremas rerum causas, & conclusiones proprias cōtemplatur, formaliter includit habitū principiorum, & habitū scientiæ. Quæ interpretatio est probabilis, & facilius declarat dicta Arist. qui lib. 1. Magnor. Moral. cap. 33. eam ex professo tradidisse videtur, nā cum distinxisset scientiam, ac mentem, hoc est habitū principiorū, subdit, *Sapientia porro ex scientia mentēq. constituitur, est namq. sapientia circa principia, ipsa quoq. mentis particeps, atq. quatenus circa ea, quæ post principia sunt, cum demonstratione scientia est particeps, & perinde non dubium, quin sapientia ex mente, scientiaq. constetur.*

IX. Ultima sententia, quæ mihi vera videtur solum agnoscit in sapientia formalem rationem scientiæ, ita ut cum habitus intellectus speculatiuus semper verus diuiditur in intellectum, scientiam, ac sapientiam, sapientia nō accipiatur tanquā aggregatū ex intellectu, & scientia, vel tanquam tertia species includens rationē intellectus, & scientiæ, vel ut species omnino opposita scientiæ, sed sicut perfectissima species scientiæ, siue tanquā proprium cōtra com-

munē. Ita docent Albert. in 1. d. 1. art. 4. ad primum. Henr. q. citata in corp. & ad primum, Heruæus quodlib. 9. q. 5. ar. 3. Aur. q. 1. prologi art. 2. propositione 4. Abulens. super primū paralipomenon, c. 26. q. 1. in illa verba, *Zacharia filio, &c.* & super lib. 2. c. 1. q. 16. Ferrariens. lib. 1. cōtra gētes, c. 4. §. 8. *Ad euidētiā, & sequenti.* Caiet. lib. 1. Poster. c. 10. dub. vlt. Ioannes de Ianduno, lib. 1. Met. q. vlt. §. *Ad intellectū.* Viguer. in instit. cap. 3. §. 8. vers. 5. & videtur omnino esse de mente D. Thomæ 1. 2. q. 57. art. 2. ubi postquā explicauit quid esset intellectus, explicat quid sit scientia: nempe cognitio per rationē habita ex principio noto ex terminis: hanc rursus diuidit in eam, quæ est per primā in aliquo genere, & eam, quæ est per primā simpliciter, & resoluitur in vltimū terminū cognitionis humanæ, & hanc ait esse sapientiā illā scientiam. Cum ergo diuisum fuerit sciētia, ut distinguitur ab intellectu, planū est membra diuidētia, quorū alterū est sapientia propriē, ac formaliter sub scientia cōtineri: neutrum vero sub intellectu, à quo distinxerat scientiam, sub qua sapientiam collocat. Et in solutione ad primū, inquit, sapientiā habere id, quod est cōmune cū alijs scientijs, hoc est deducere cōclusiones ex principijs, & aliquid propriū, hoc est iudicare de omnibus. Et lect. 5. in sextū lib. Ethic. in fine expressē docet sapientiā esse scientiam, distingui tamē à scientia cōmuniter sumpta per eminētiā, quā habet inter alias scientias: est enim virtus quædam omnium scientiarū, quarū principia regulat. Et clarissimē eadē lectione circa medium his verbis, *ex hoc etiā patet, quod horum principiorum nō potest esse sapientia, quæ est alia virtus intellectualis: quia ad sapientem pertinet, quod habeat demonstrationē de aliquibus rebus, id est, de primis causis entium: principia autē sunt indemonstrabilia, ut dictū est: quib. supponit assensum sapientiæ propriū non nisi ex demonstratione haberi: atq. adeo ad sapientiam per se non pertinere assentiri primis principijs indemonstrabilibus, quod paulō post iterū repetit: si verō sapientia formaliter, vel eminenter esset intellectus, ad eam pertineret assentiri primis principijs. Est etiā expressa sententia Arist. lib. Ethic. citato, c. 6. ubi bis repetit sapientiam nō esse principiorū indemonstrabilium, quod verū nō esset, si formaliter, vel eminenter vtrumque habitū contineret. Ea vero sentētia facili probatur ex dictis: sapientia humana studio acquisita, de hac enim loquimur, negandū quippe non est posse Deum infundere habitū aliquē eius naturæ ac perfectionis, qui eminenter contineat habitus*

Aristot.
Henric.
Heruæus.
Abulens.
Ferrariens.
Caietan.
Iandun.
Viguer.
S. Thom.

Aristot.

scientiæ, & intellectus, qualē Christo in-
sum nōnulli opinatur: sapientia, inquā ac-
quisita, quā Metaphysicam esse docuit Phi-
losophus lib. 11. Met. c. 1. & 2. acquiritur per
discursum à principijs, & causis, vt ceteræ
scientiæ: ergo est habitus eiusdem rationis
cōmunis cū ipsis. Patet cōsequentia quoniā
à modo acquirēdi, & actib⁹ habitus inuesti-
gare, ac discernere solemus: & ideò Arist.
lib. Ethic. citato c. 7. sapientiam ait esse ex
actissimā omniū scientiarū cōparans nimirū
eā cū illis, vt cū rebus eiusdē rationis. Et
alibi ait esse scientiā rerū per altissimas cau-
sas. Deniq; sapiētia nō est formaliter simul
intellectus, ac scientia, vt probatū est cōtra
primā sententiam, nō eminenter admodū
quo loquuntur auctores secundæ, ac tertiæ
opinionis, & conuenit cum alijs scientijs in
deductione suarū cōclusionum, ergo prop-
riē, ac per se est scientia eiusdem rationis
cōmunis cum alijs, sed addens perfectum
sciendi modum ex parte principiorum.

X.

Neq; verò in hac opinione spectata solū
natura rerum vlla est difficultas, nā sicut in
alijs scientijs presupponuntur habitus prin-
cipiorū, tamquā fundamenta scientiarū ab
illis distincta, ita in Metaphysica suppo-
nuntur habitus principiorū, & ex discursu
per proprios actus sciendi gignitur habitus
sapientiæ. Solummodò est difficultas in ex-
ponēdo Arist. qui sapientiam cōtradiuifit
intellectui, ac scientiæ, & dixit esse simul
scientiā, atq; intellectū. Vt prius dictū ex-
plicet Caiet. loco citato Poster. vtitur qua-
dā distinctione cōsiderādo sapiētia, qua-
tenus est virtus intellectualis, & quatenus
est scientia: & priore nō posteriore modo
vult distinguī à Philosopho lib. 6. Ethic. ab
illis habitibus, quoniam in ratione virtutis
aliter perficit intellectū: cui expositioni fa-
uet D. Thom. super Boët. de trinitate, q. 5.
art. 1. ad primum, quatenus ait Arist. in lib.
Ethic. agere de habitibus intellectualibus,
quatenus sunt virtutes intellectuales. Verū
et si verum sit, q. ait D. Thom. nō vi-
deo, cur si sapientia in genere scientiæ nihil
peculiare habet, connumeranda sit alijs ha-
bitibus, qui nō aliter sunt virtutes intelle-
ctus, quā perficiendo illū ad assensum ve-
rum. Et ideò facili⁹, & clari⁹ mihi vide-
tur ratio, nimirū sapientiam etiā in ratione
scientiæ habere aliquid ppriæ perfectionis,
ratione cuius connumerari debuerit intel-
lectui, & scientiæ tamquā membrū solum
per additionē adiunctum scientiæ: etenim,
cū ratio scientiæ cōstat in cognitione re-
rū per causas, sapientia, quę pcedit ad noti-
tiam rerū per primas ac supremas causas,
vēdicat peculiare quādā perfectionē in ge-

Caietan.

S. Thom.

nere scientiæ nulli alijs scientiæ cōmunem
& ideò tamquā peculiare membrū diuifio-
nis apponitur, vt colligitur ex D. Thom. 1. 2. q. 57. a. 2. ad primū, & super Boët. de Tri-
nitate, q. 2. ar. 2. ad primū, cū ait sapientiam
nō diuidi cōtra scientiam sicut oppositum,
sed tamquā habens se per additionē ad illā,
at quę cōparantur ad alia per additionē, in-
cludunt ipsā, & addunt aliquid ppriæ per-
fectionis. Neque hęc interpretatio est præ-
ter modū loquēdi Philosophorum, qui se-
cundū doctrinā Arist. dicunt esse quatuor
genera viuētū vegetatiuum, sensitium,
intellectiuium, & loco motiuium, & tamen
membra diuidētia solū sunt opposita per
additionē, vt patet: quia verò ceteræ scien-
tiæ in ratione cōmuni scientiæ nihil pecu-
liare addunt, continentur cōmuni nomine
scientiæ: sapiētia verò, quia addit perfectis-
simū sciendi modū per supremas causas,
meritò ab Aristot. expresse in ea diuisione
traditur. Et ita patet ex diuisione Aristote-
lica, habitus intellectualis speculatiui in in-
tellectū, scientiam, ac sapiētiam non inferri
ipsam debere esse habitum, omnino cōtra
scientiā oppositū, sed solū p additionē.
Ex quo cōstat solutio ad argumētū Nomi-
nialium, negāda est quippe sequela, nimirū
sapientiā nisi æquiualeuter cōtineat habitū
scientiæ, & intellectus, non posse proponi,
tamquā membrū ab alijs distinctum. Et ad
cōfirmationē responderetur, et si assensus cō-
clusionis demonstratē gigneret sciētiam, nō
tamē omnē eiusmodi assensum pcedere p
supremas causas, & ideò subdiuidi posse
habitū cōclusionū in scientiā, ac sapiētia.

Ad aliud dictū Arist. quatuor expositio-
nes adducuntur ab Heruēo quodlib. 9. ci.
XI. Heruēo.
tato. q. 5. a. 3. prima est, sapiētia dici scien-
tiam, & intellectū, quia vtrumque requirit,
diuersimodē tamen, ita nimirū vt essentia-
liter solū sit scientia, presupponat tamē
necessariò habitū intellectus circa princi-
pia. Sed hęc expositio meritò exploditur
ab Heruēo: hoc enim cōmune est omni sci-
entiæ, ac proinde nō est propriū sapientiæ,
cū tamen Arist. aliquid ipsi peculiare tra-
dere intēdat. Secunda est, ideò sapiētiam
dici intellectū, quoniam ad assentiē-
dum primis principijs non requiritur vl-
lus habitus ab ipsa potentia intellectuā
distinctus: & idcirco sapiētia, quę est ha-
bitus conclusionum, dicitur intellectus
negatiue, hoc est non supponens in poten-
tia vllum habitum ab ea, & à se distinctum;
quemadmodum supponunt aliæ scientiæ
partiales, quę supponunt habitum, qui
dicitur intellectus principiorum. Verū
hęc etiam responsio meritò rejicitur ab

Heruēo

Heruæo ubi supra, tū quia nātūtur opīnionē minus certa, quod nō sit proprius habitus primorū principiorū, tū quia, ea admīssa, nō est cur si ad assentiendū principijs Metaphysicis nō requiritur habitus ab intellectu distinctus, requiratur ad assensum principiorū in singulis scientijs; tū denique quia sicut habitus principiorū se habent ad alias scientias, ita iuxta eam opīnionē se debet habere potentia intellectiua ad Metaphysicam: habitus verō aliarū scientiarum nō includuntur in ratione ipsarū: ergo neque apte dici potest sapientiam esse intellectum, quia preter potentiam nullū alium quorundā, aientium ideō sapientiā appellari ab Aristotele scientiam, & intellectū, quoniam cōclusiones ipsius cōsiderari possunt, vt terminant proprium eius discursum, & vt assumuntur tamquam principia aliarū scientiarū: & priore modo conferre propriam, & intrinsecā rationē sapientiæ, quæ cōsistit in ratione scientiæ: posteriorē verō extrinsecam, & cōnotatiuam rationē intellectus: quia id, quod Metaphysicis ex demonstratiōe scit, Philosophi aut Mathem. ab ipso probatū sumit, vt principium. Verū neque hæc expositio est accommodata, namque ea ratione quæuis scientia subalternans haberet rationem hanc sapientiæ, quod est falsum, quia vnica est sapientia naturalis: & Arist. apertē ostēdit principia, & cōclusiones, circa quæ sapientia versatur, nō esse easdē propositiones sola cōnotatione, sed re ipsa diuersas, sic enim ait lib. 6. Ethic. c. 7. *sapientem igitur nō solum ea, quæ ex principijs sunt, cognoscere, sed etiā circa principia ipsa verū dicere oportet*, perspicuū verō est ea, quæ ex principijs sunt, & principia, ex quibus sunt, nō cōtineri eadē cōclusionē: quæ formaliter sciatur, & ad habitū scientiæ pertineat, extrinsecæ verō denominetur principium.

XII. His interpretationib⁹ exclusis existimo cū Heruæo citato in 3. expositione; Aureolo, & Ferrar. ubi supra, Arist. nihil aliud voluisse, quā tradere discrimen inter Metaphysicam, & alias scientias, quoad habitudinem ad prima principia: non quidē in deducēdo cōclusiones ex ijs, hoc enim habet cū alijs cōmune, sed in p̄b̄dis, ac tuendis illis, imō & agēdo de illis tanquā de obiectis, quod nulli alijs cōuenit scientiæ. Cæteræ quidē scientiæ, vt auctor est Aristoteles, supponunt, nec probant sua principia: si quis autē ea petulanter neget, ad sapientē pertinet ea probare: & ita ad cæteras scientias nō pertinet verū dicere circa propria principia, probando, ac tuendo illa, sed solum vt vera sumēdo; at si quis prima prin-

cipia sapientiæ neget, proprium ipsius est ea probare, si nō à priore, quia caret medio termino, saltē à posteriore, & deducēdo ad impossibile ostēdendo connexionē terminorum, & modis alijs, & hoc est verū dicere circa principia. Ad quē modū D. Thom. lect. 5. in fine videtur exponere dictū Aristotelis, nimirū quod oportet sapientē circa principia verū dicere, sic enim ait, *nō quidē quod demonstret ea, sed in quantū ad sapientes pertinet notificare cōmunia, puta totū & partem, æquale, & inæquale, & alia huiusmodi, quibus cognitū principia demonstratiōis innotescunt: Vnde & ad eiusmodi sapientē pertinet disputare cōtra negantes principia, vt patet 4. Metaphysicis textu 8.* Eiusdem sententiæ est Caiet. 1. 2. quæst. 57. art. 2. ubi docet sapientiam cōtinere scientiam, quatenus deducit conclusiones ex per se notis, intellectū verō quatenus iudicat ipsa principia esse vera ex terminis, & defendit quæ intellectus tantummodō videt, & iudicat absolute: ubi sapientiæ attribuit iudiciū in actu signato de veritate principiorū, intellectui vero in actu exercito. Idē docet Medina ibidē. Ad hunc etiā sensum explicat Albert. lib. 6. Ethic. c. 20. quatenus in hoc cōstituit discrimen inter sapientiam, ac reliquas scientias, quoniā hæc nihil circa ppria principia discunt, sed ijs sumptis ad cōclusiones procedunt: at Metaphysica, cū nō habeat superiorē scientiam, à quaumat sua principia, ea à posteriore venatur: & ita eius muneris est sua principia quærere: quibus inuentis reflexo discursu ad cōclusiones regreditur: & ratione prioris dicit verum circa principia, & habet rationem intellectus; ratione posterioris, circa cōclusiones & est scientia. Intelligi quoque potest ex parte obiecti, vt interpretatur Heruæus citatus, quia Metaphysica de ipsis principijs, vt de partiali subiecto plura ostēdit; ita vt inter obiecta, de quib⁹ sapientia agit, & passiones aliquas ostēdit, sint principia, tam cōplexa, quā incomplexa: vnde & Philosophus lib. 11. Metaph. initio cōcludit sapientiā esse scientiā quandā circa principia: & ideō magna eius lib. parte inuestigat quānā sint principia, circa quæ sapientia versatur: ubi præcipuē agitur de causis, & de principijs rerum incomplexis, sed de his fusius, quā pro meo instituto disserui, quia tota difficultas in hac cōsistit in verbis Aristot. quæ Theologi quoque ipsi interpretari conantur.

XIII. Ex his omnib⁹ hanc eruo assertionē, sapientia nō est habitus, quo ex terminis assentimur principijs, hic enim præcisē est habitus principiorū: sed quo præbetur per se assensus cōclusionib⁹ per primas, ac supre-

XIV.

S. Thom.

mas causas, & probatur principia inferiorum scientiarum: itemque propria declaratur, defenduntur, & contra proteruos ostenduntur, quæ omnia munia cōueniunt Theologia, quæ suamet principia declarat, ac tuetur, & nonnumquā alia ex alijs ostendit, & scientiarum naturalium errores corrigit, si qua in re à superiore veritatis regula declinet.

Ad primum argumentum initio propositum respondeo, idē sub lumine naturali intellectus esse unicam tantum sapientiam, quoniam est vnus tantum modus sciendi per supremas causas: at sub lumine diuino datur triplex modus, vnus ex immediata reuelatione, quo continetur fides, alter per modum inclinationis ex motione Spiritus sancti, & hic pertinet ad sapientiam, quæ est donum Spiritus sancti, vt explicat D. Thom. prima parte, q. 1. art. 6. ad 3. & in 2. scripto art. cit. ad secundum: Denique per modum cognitionis, & hic est proprius Theologiæ vt docet ibidē D. Thomas. Ad secundum respondeo, Philosophum ibi loqui de habitu naturali intellectus, quo sapientia dicitur perfectior per modum inclusionis, quoniam illū quodāmodo includit, & præterea addit scientiam: at in sapientia Theologica, cum sit acquisita, non requiritur, vt sit perfectior fide, quæ est habitus infusus: quamuis etiam quoad modum sciendi nō incongruē dici posset habere aliquam perfectionem, quia fides caret: tū quia ad plura se extendit, quā fides, tū quia fides non est argumentatiua, sed solum adhæsiua, at Theologia est argumentatiua; & nō solum conclusiones ipsas, sed etiā ipsā fidei principia declarat, probat, ac tuetur: quomodo sapientia naturalis se gerit erga sua priora principia. Tertij solutio patet ex dictis, iam enim explicatū est quomodo Theologia sit regula scientiarum naturalium: ex eo vero quod reguletur ex fide, nō tollitur ratio sapientiæ: nam etiam Metaphysica, quatenus scientia, regulatur suis principijs, nec proinde desinit esse sapientia. Ad quartum responderi potest iuxta varios modos explicandi Aristotelem, qui cum auctoribus primæ opinionis dixerit sapientiā vtrumque habitum formaliter includere, dicit etiam Theologiam per se solam non esse sapientiam, sed vt est cōiuncta cū fide. Qui verò existimauerit cum D. Thoma, & alijs sapientiam intellectum dici, nō quia ad eam spectet assentiri ex sola penetratione terminorū: sed quia versatur circa ipsa principia declaranda, probanda ac tuenda; respondebit Theologiam, etsi formaliter non includat habitum fidei, quo adheremus reuelatis: versari tamen, circa eadem reuelata ex-

plicanda, tuenda & suo modo probanda. Pro vltimi argumenti declaratione, quæstione integrā texuit Heruæus vbi supra: sed breuiter respondeo, idē Philosophum sapientiam in sola veritatis cōtemplatione sitam existimasse, quia solam sapientiam naturalem agnoscebat, quæ nō nisi speculatiua esset: Theologia reuelata vtramque rationem, speculatiuam scilicet & practicam comprehendit: & secundum vtramque habet suo modo rationē sapientiæ; quoniam de ipsa quoque praxi non agit nisi per supremam causam scilicet per regulas diuinas, & per attributionem ad Deum, vt rectē explicat Heruæus vbi supra.

Heruæus.

Theologia sua principia tuetur, soluendo contraria argumenta euidenter quidem ratione formæ: ratione vero materiæ in actu signato euidentius est solubilia esse omnia, quæ fiunt contra reuelata à Deo, non autem quæ fiunt contra singulas veritates in se.

CAPVT X.

Capite superiori dictū est Theologiā esse sapientiā, ac proinde ad illā pertinere arguere contra negantes sua principia, eaque ab impugnantibus defendere: modū superest examinādū, quantū hæc Theologiæ facultas extendatur. Et quidem, quod attinet ad modū probandi sua principia, tractatu 1. c. 9. dictum est. Quod verò attinet ad modū tuendi illa respondēdo argumentis, aduertendū est ad tuendā veritatē respondendo nō requiri habitū distinctum ab eo, quo eadē veritas ostēditur arguendo: nam quemadmodū ex iisdē præceptis artis Dialecticæ & instruitur mens ad rectē argumentandum & respondendū, quia eadē leges, ac normæ argumentandi, vtpote mensuræ discursus mentalis, & vsui sunt vt teneatur recta disserendi forma, & vt notetur defectus in argumentatione aduersarij: ita etiā principia materialia, quæ assumentur ad inferendam conclusionē, inferuiunt ad respuenda principia opposita negando illis assensum, qui enim firmiter assentitur illi principio, *Natura est principium motus*, & ex illo colligit elementa, quæ natura constat esse subiecta motui, ex talibus assensibus scit discernere falsitatem oppositorum principiorum, quæ adducuntur ad oppositam conclusionem asseruendam. Notandum quoque cum Caiet. 1. parte, art. 8. §. circa tertiam, ad tuendam veritatē respondendo non opus esse, vt solutio approbe-

I.

Caietanus.

tur